



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

382. Ne super mortuorum cadaveribus carmina diabolica nocturnis horis  
cantentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Ephes. 3.

que genua terræ figat. Ait enim Apostolus:  
*Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu  
Christi.*

Ut turpia cantica plebibus prohibeantur.  
*Ex Concilio Arelatensi.*

Concil. 3. To-  
let. c. 13.

CCCLXXXI. Exterminanda omnino  
est inreligiosa consuetudo, quam vulgus per  
sanctorum sollempnitates agere consuevit, ut  
populi, qui debent officia divina adtendere,  
saltationibus & turpibus invigilent canticis,  
non solum sibi nocentes, sed & religiosorum  
officiis perstrepentes. Hoc etenim ut ab omni  
Hispania depellatur, sacerdotum & iudicum  
à sancto Concilio curæ committitur.

Ne super mortuorum cadaveribus carmina  
diabolica nocturnis horis cantentur.

*Vnde supra.*

Burchard. lib.  
10 c. 34.Vide lib. 6.  
Capitular. c.  
193. 194. &  
Concil. Tolet.  
3. c. 22.

CCCLXXXII. Laici qui excubias fu-  
neris observant, cum timore & tremore &  
reverentia hoc faciant. Nullus ibi præsumat  
diabolica carmina cantare, non joca & salta-  
tiones facere, quæ pagani diabolo docente ad-  
invenerunt. Quis enim nesciat diabolicum ef-  
fe, & non solum à religione Christiana alie-  
num, sed etiam humanæ naturæ esse contra-  
rium, ibi cantari, lætari, inebriari, & cachin-  
nis ora dissolvi, & omni pietate & affectu ca-  
ritatis postposito, quasi de fraterna morte ex-  
ultare, ubi luctus & planctus flebilibus voci-  
bus debuerat resonare pro amissione cari fra-  
tris? Patres siquidem veteris ac novi testamen-  
ti mortes sanctorum virorum legimus multis

in locis cum fletu deplorasse, in nullo autem loco, quia à seculo recesserant, exultasse. Nam & Jacob Patriarcham flevit Ægyptus tota Genes. 50. diebus septuaginta. Et Joseph & fratres ejus, cum patrem deferrent in terram Chanaan ad sepeliendum, celebrantes exequias, ad aream \* Atahē, quæ sita est trans Jordanem, planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies. Tantus autem fuit planctus ut locus inde nomen acceperit. Et de beato Stephano legimus quòd sepelierunt eum sive curaverunt viri timorati, & fecerunt planctum magnum Act. 8. super eum. Et ideo talis inepta lætitia & pestifera cantica ex auctoritate Dei penitus interdicienda sunt. Si quis autem cantare desiderat, *Kyrie eleyson* cantet. Sin aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult, statim ab omnibus bannatur, vel adjuretur ut non habeat ibi licentiam ampliùs consistere, sed recedat, & ad propriam eat mansionem. In crastinum autem taliter coërceatur ut ceteri timeant.

Ut Episcopus Clericos alterius parrœchiæ nullatenus ordinet. *Ex Concilio Antiocheno.*

CCCLXXXIII. Episcopus non constituat Presbyteros aut Diaconos alteri subiectos Episcopo, nisi fortè cum consilio & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid agere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio, & ipse coërceatur à synodo. Concil. Antioch. c. 22. Burchard. lib. 1. c. 107.